

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## M. Tvllii Ciceronis Opera Omnia

Cicero, Marcus Tullius

Basileæ, MDCLXXXII

Elogia

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1133)

CL. ALIQVOT VIRORUM  
E L O G I A  
DE  
JANO GULIELMIO.

FRANCISCUS MODIUS JANO GULIELMIO SUO S.  
Coloniam Agrippinam. Epistolâ Novantiqvarum lect. cxxxj.

**I**tæ hæc ita, GULIELMI; Magnus in his Studiis vir fuit D. Lambinus; ideo licere quidvis homini n optimum & doctissimum quemq; putabimus? Victorium, Langium, alios, ut semidoctos, & si Dii placeat, barbaros, ac Latina lingua ignaros, passim traducit, cum tamen hi sint illi, à quibus tantum in Ciceronis recognitione adjutum fuisse constat, quantum haud scio an ab ullis omnino aliis, sed quid de istis queror; quorum Italum alterum, alterum Belgam ipse Gallus suo quodammodo jure, ut alienigenas contemnere potuit; cum etiam non pepererit suis? de quibus, ut Muretum, & infinitos alios mittam; an non ausus est Turnebum; illum inquam, Turnebum, quo doctiorem Gallia non vidit, plagii accusare? sed bene quoa nemo credit, non magis quam cum dissimulare studet nostrorum hominum (& jam non de Langio, sed alio quam plurimis loquor) in Ciceronis laboribus meritisq; quidquam debere, quorum quantum ille ipse Lambinus cum judicio, tum libris, diligentiaq; in hoc scriptore adjutus fuerit; qui videre velit, ut postremam ejus editionem cum prioribus contendere ne gravetur. Cetera ut spero tibi cura erunt: dico in quibus plusculum sibi etiam contra libros omnes idem Lambinus licere voluit, est tibi certe facultas cernenda hujus tanta quantum ex alio scriptorum frustra speres, gloria; ad quam ut accedat etiam voluntas, præter eam quam dixi laudem, movere te debet doctissimorum hominum per Belgicam & Germaniam expectatio; quos omnes hac spe impleri, futurum brevi, ut per te hunc auctorem omnium optimum, & ad usum vitæ maxime necessarium, quam emendatissimum habeamus, ego promisi, tu vide ne amicis vanitatis accusari patiara.

JUSTUS LIPSIUS Libro II. Electorum, cap. 16.

**I**ta vivam ipse & valeam, ut peracerba nuper mihi accidit JANI GULIELMI mors, sive potius raptus. Subita enim fuit: & vix Biturigas venerat, cum febris eum occupavit. & in paucis diebus extremus ille dies. Sanè amabam adolescentem insigni indole, magnâ spe: nec facile ingenium videram (juvenile quidem) magis mihi ad gustum. Libelli judicio meo testes, quos in Critico isto genere paucos edidit; sed probos doctosq; & quos haud temerè Invidia dens atteret aut lima labentis avi. Sed peracerba mihi tamen hæc mors, non nova. Quæ enim alia vitæ Lex? Ut lignum uri natum est, arista secari: sic homines mori. Ita mei juvenes, & animi sulite aut annu, una nempe morbi aura est, qua adurit & exstinguit hunc omnem vitæ forem. Quin & venti cum vehementissimè perflant, ponunt ferè & desinunt: sic mortales, cum grandia maximè spirant & sperant. Ego ipse, qui ista loquor, quamdiu hic sum? Fallor: aut stridulum jam in me quoz, fatale hoc ferrum, & sequor te, mi Gulielmi. imò calcem premo calce. Ita lentus difficilique morbus hic suadet: qui ut hedera quadam serpens, implicat & enecat me longo tractu. Sed hoc quidem fiet cum Deo meo visum: interea judicii mei de te & amoris monumentum hoc positum esto, non aeternum, scio, (stulti qui ab his scriptis id sperant,) sed longævum fortasse: si tamen, ut cum Pindaro dicam,

Σὸν πνι μνηστὴν παλάμῃ  
Ἐξαιρέσει Χαρίτων νύμφῃ  
Κἄποι

JACOBUS AUGUSTUS THUANUS sine Historiarum  
lib. LXXX.

**E**odem mensè Quintili cld Id xxciij. JANUS GULIELMIUS, adolescens cultissimi ingenii Lubeca natus, Avyrici Biturigum, quod ad magnum Cujacium audiendum profectus fuerat; contracto ex nimis caloribus morbo, vix salutata urbe decessit, cum nondum xxx vitæ annum attigisset; eo magis deploranda morte, quod multa, & inter ea novam Ciceronis operum ad M. S. exemplaria diligentissime collatorum & amplius sexcentis clausulis supplementorum editionem paratam haberet; quam & ego Lutetia, dum is ad me familiariter venisset, vidi, hæcenus magna rei literaria jactura aut disperditam aut suppressam.

HIERO-



ELOGIA

HIERONYMUS GROSLOTIUS LISIÆUS JACOBO LECTIO JC.  
parte epistolæ, editæ Anno 1610.

**V**olebam hic interjungere, ni me ulterius procehi incitasset, qui est justissimus, & merito obstinatus doler meus, quem contraxi ex obitu C. M. juvenis amicissimi quondam mei, quem, ut ita dicam, mi Lecti, dulcissimum mihi est in sinu tuo deslere. Is fuit, JANUS GULIELMIUS, quo juvene, non me redarguer ipsa Veritas, nihil tulit Germania doctius aut verius: nihil vidit Sol ipse amabilis aut melius, jurasses factum illum à Gratiis, educum edocum à Musis. Nam illi quanta probitas in ore? quanta in sermone simplicitas? quanta urbanitas, quæ candor, qui salus? quam pari lance gravitas comitasq;? quanta in omni vita pietas? & quod rarissimum in illa gente, quanta in omni vultu abstinentia? deniq; quo ille studiorum amore flagrabat? quantum legit? quantum etiam scripsit? quæ nunc maximam partem cum ipso, sine fructu posteritatis, abierunt. Super sunt tamen in manibus hominum non obscura tanti ingenii monumenta, quæ etsi fuerint edita ab admodum adolescente, & ut ipse sum oculatus testis, nimio impetu præcipitata, tamen æternum (si æterna, quod auguror, erunt) testificabuntur, quo fuerit in his literis acumine & judicio simulq; quantum virum daturus fuisset, si virtutes ejus maturuissent. Angor ipsius casu, qui acerbo & planè immaturo interitu primo ætate flore extinctus est: dignus (ò fata!) vi vere atatem trium Nestorum. Sed illud forte an utcumq; tolerabile, quia commune cum multis, hoc verò mihi non triste solum, verum etiam luctuosum videtur, quod reliquit imperfectum præclarissimum opus, quod absolvi non minus fuisset è re publica, quàm ex ipsius sua, qui sibi inde comparasset nominis immortalæ decus. Enim parabat emitte in vulgus optimum lingua Romana parentem M. Tullium Ciceronem quam castigatissimum & nitidissimum: & jam propè adfecta res erat, nisi tam alieno, & pænè dicam, tam non suo tempore, fato fuisset oppressus. Verum si posteritatem spectemus, quidquid non absolutum, habetur pro non inchoato. Memini, & memini non absq; lacrimis, audivisse ipsum septius predicantem, non vana ostentatione, ut solet, à qua sanè plurimum abhorrebat emendatissima indoles ejus, se in Cicerone quæ ex libris, quæ ex conjectura aut emendasse certo judicio, aut explicass. nunc primum, ad ter mille locos maximi momenti. Levior enim habebat hæc Παυδὲς τριγίς τε. At ista omni immortalitate dignissima præmatura ejus morte nunc jaent; & verendum ne malâ operâ eorum, in quorum manus devenere, idem quod ille, fatum sentiant. quod invidisse illi tantam gloriam, & nobis atq; ipsis, quas colimus, literis, tantum bonum, quis vel imbutus humanitate aliqua non misereatur, non doleat? M. Tulli, si quis tibi etiam adhuc manet sensus, agnosce & desle seridè maxime capitale fatum tuum, quo tibi præceptus est ille Æsculapius tuus, qui vitam dum tibi reparat (ah nimis invidiosum opus!) exitium paravit sibi ipse, fatum tibi tanto calamitosius illo, quo præcium divina eloquentia caput, amputata fortissima manus; quanto tibi gratior esse vita debet, quàm mors; qua puto, jucunda tum fuit, eversâ penitus Repub. quam conservaveras. Ita mihi, ò, semper pateant abditores & jam vetustate fallentes sensus tui, mi Arpinas homo, angor acerbissimè tuo nomine: angor tamen publico magis, cujus maximo malo denatus est tam ingenti tot literarum, tot virtutum flumine inundatus juvenis: cui quemadmodum propè unico ævi hujus nostri, dixerò Invidia audiente indignante, facultas erat tantum scriptorem emaculatissimum publicandi, ita doctissimorum judicio felicissimè, cum profam scriberet, prorsus exprimendi, accessitis tamen ex Plauto, alijsq; similibus, id est, optima nota scriptoribus lepidissimis, & totis urbanioribus. Jam verò cum se demittebat ad carmen, edebat, Deus bone! quàm tersum, quàm amœnum, quàm acutum & verbo dicam, omnino sanitatis antiquæ: ita proximè effingebat veteres illos, Horatium dico, Catullum, Propertium, & ceteros augustioris fama Testor illius Divos Manes, Lecti, ne quicquam de amicitia: quicquid hic scribo, extorquet à me ipsissima veritas: si non eum destinasset hæc mortalis vita in tam secundo ad supremam humana laudis metam cursu; se probasset proculdubio Musarum alumnis scriptorem eloquentissimum, summum Pœtam, maximum Criticum. Deniq; angit me super ista multò gravissima jactura mea, si jactura dicenda est, tanti viri, tanti amici amissio; amici, cui propè unico volebam patere intimas cogitationes meas. Accedit moro meo, quod absens & impendentis mali necius, pariter agrum, pariter excessisse cognovi, ut in tanto infortunio meo privatus fuero tantilla felicitate adversus illum fungendi novissimis qua debemus, efficiis. Paulo enim ante, quàm venissem Arvaricum (qua urbs funesta ejus morte, honorata sepulchro) Deo reddiderat optime de literis, dog; amicu nobis meritum spiritum, &c.

ingenii Lubeca  
nido ex nimio  
deploranda  
morum & am-  
adma familia-

HIERO-